

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. XXXXVI. De viis urinariis & lotii secretione atque excretionem.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

vita sedentaria, multa equitatione, purgantium abusu, aliarum hæmorrhagiarum naturalium anomalia, artificialium neglectu, quærenda est. Rectum respectu temporis ac quantitatis ordinem excretio hæc raro fervat. Viris hoc sanguinis vel seri profluvium, præ feminis accedere, vulgo quidem creditur; quod tamen non, nisi menstruis rite fluentibus, verum est; multæ enim feminæ cum & sine illis hæmorrhoides rubras vel albas experiuntur; quin vetulæ, post menstruorum cessationem, hæmorrhoidibus, imprimis mucosis, salutariter gaudent. Vid. *Dn. Wolffii* diff. de hæmorrhoidibus albis, *Gießæ* MDCCLXXIX. & progr. meum de hæmorrhoidibus mucosis, earumque sympathia cum asthmate humoroso, *ibid.* MDCCLXXVI.

## CAP. XXXXVI.

### *De viis urinariis & lotii secretionem atque excretionem.*

#### §. I.

**R**enes summis lumbis, prope imas costas spurias, utrimque adhærentes & psaleoli figuram æmulantes ex substantia corticali & tubulosa compositi, atque membrana, a peritoneo veniente, amicti, multaque tela cellulosa circumdati sunt. In adultis eorum supermodo non semper æqualis, in infantibus ac puellis, bubulorum

instar, in lobulos divisi, & inæquales sunt. Ex aorta per arterias emulgentes, interdum duplices triplicesve, multum sanguinis illis advehitur, quæ dein in innumerabiles ramulos divisæ corticalem renum substantiam cum venis constituunt. Ex qua partim in venas sanguinem revehentes reflectuntur, partim vero in ductus Bellini pinguedini interstratos, tubulosam renum substantiam formantes, degenerant. Tubuli hi in octo vel duodecim papillas, foraminulis pertusas, collecti, urinam secretam in pelvim, membranofum ureteris sinum, in renis medio expansum, deferunt. Radices venosæ in venas emulgentes colliguntur, a quibus sanguis venæ cavæ immittitur. A plexu renali ex ganglii semilunaris ac primi lumborum paris filamentis factis, multi nervuli renales proveniunt. Sub extima renis membrana venæ lymphaticæ valvulosæ decurrunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. V. *Wilb. Comperi* anat. C. H. tab. XLII. & XLIII. *Fv. Ruyschii* thesaur. anat. III. tab. III. fig. III. Observante *Dn. Bervin*, insigniores arteriæ emulgentis rami, sic per renum substantiam duplici ordine disponuntur, ut eorum pulsus ductus urinarios concutere ac concreturorum exitum promoverere possint. Vid. l'Histoire de Acad. R. des Sciences 1744. p. 9. & Memoires de l'Academie Royale des Sciences 1744. p. 108. Memoires de l'Acad. R. des Sciences 1749. p. 709, sur la structure des reins.

*Obs.* In viri corpore mortuo renes sine pelvi, eiusque loco substantiam spongiosam *J. B. Morgagnus* vidit. Conf. eius l. II. de sedib. & causis morb. epist. XXVII. art. XXVIII. Idem autor, renis dextri & vasorum emulgentium eiusd. lateris defectum observavit. Vid. l. c. epist. XXV. art. IV. Renis sinistri ureteris & vasorum spermaticorum eiusdem lateris absentiam *Dn. Poupert* dans l'Histoire de l'Academie Royale des Sciences 1700. p. 46. annotavit. Mulieri cuidam renem sinistrum defuisse, eandemque dextrum duplo maiorem cum duplici pelvi ac uretere, ad dextrum vesicæ latus tendentem, *Vassalva* vidit, referente *J. B. Morgagno* l. III. de sedib. & causis morb. epist. XXXI. art. XXV.

## §. II.

Renes succenturiati, vel glandulæ suprarenales, substantia spongiosa, intus cava, ac figura irregulari, gaudentes, superiori renum parti insident, ac liquorem fuscum, sanguini æmulum, in sinu suo fovent. Vasa illorum ab emulgentibus aliisque vicinis sunt, interdum vero ad aortam ac venam cavam pertinent. A plexu renali eorum nervuli derivantur. Ad capsulam chyli ductumque thoracicum venæ eorum lymphaticæ valvulosæ abeunt. In infantibus humore lymphatico scatentibus, ut totum eiusmodi glandularum genus, maiores, quam in adultis sunt. Communis illorum usus, in infantibus præcipuus in secernendo, ut aliarum consimilium glandularum &

*Renes succenturiati.*

lymphæ circuitum promovendo, positus esse videtur.

## §. III.

*Ureteres.*

Ureteres sunt canales membranacei, inæqualis diametri, ex membranis veris, communi scilicet, fibrosa tenui, & nervosa lævi, interpositis cellulosis structi, per quos urina ex pelvi descendens in partem vesicæ urinariæ posteriorem inferioremque destillat. Calamum scriptorium crassitie æquant, ac vesicæ ita immittuntur, ut, inter eius membranas serpentino tractu progredientes, angustis orificiis in illius cavitatem hient. A partibus vicinis eorum nervuli ac vasa sanguifera mittuntur. Vid. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VIII. tab. I. *Dn. J. C. Poblui* progr. sistens observationes anatomicas de ureteribus, Lipf. MDCCLXXII.

## §. IIII.

*Urachus.*

Urachus canalis in embryone humano non prorsus pervius, atque in adultis in vesicæ ligamentum, parvo peritonei processu circumdatum, mutatus vaginam suam ab externis vesicæ fibris accipit, quarum tamen maior pars, cito recedens, ad arterias umbilicales divergit; hinc superior atque umbilico propior eius pars gracilior est. Intra dictam vaginam tenuis canalis, liquidum gelatinosum continens, fetam recipiens, & parvo osculo in vesicam hians, reperitur. Intra funiculum umbilicalem per aliquot uncias profequi potest; donec, in filamenta

tenuatus, evanescat. L'Histoire de l'Acad. R. des Sciences 1769. p. 69. Memoires p. 534. In vitulis & agnis urachus est canalis pyramidalis, a fundo vesicæ per funiculum umbilicalem ad membranam allantiodem penetrans, in quam urinam ex vesica deducit.

§. V.

Vesica urinaria est viscus pyriforme, <sup>Vesica urina-</sup> membranaceum, cavum, in pelvi virorum, <sup>naria.</sup> inter os pubis atque intestinum rectum, in pelvi feminarum, inter idem os ac genitale positum, urinæ colligendæ atque expellendæ destinatum. Ex tunicis cellulosa, in fundo communi, musculosa ac nervea structa est. In fundum, corpus atque collum, vel cervicem, dividitur, & hunc sphincter, ex duobus fibrarum muscularium stratis in sexu sequiore latioribus, factus, atque in viris cum osse pubis & intestino recto, in feminis cum eodem osse ac vulvæ canali cohærens, amplectitur. Superius, ope ligamenti suspensorii, cum umbilico, inferius cum urethra, in hanc foramine patens, cohæret. In posteriore eius parte membrana communis plicam transversalem format, quæ in utroque illius latere productiones emittit. Vasa ab hypogastricis, hæmorrhoidalibus externis ac mediis atque umbilicalibus, & in sexu sequiori etiam ab uterinis sunt. Plexui mesaraico inferiori ac paribus ossis sacri imis nervos debet. Sub membrana extima venæ lymphaticæ valvulosa latent. Aërem & aquam ex vesica uri-

naria in venam hypogastricam facile penetrare, per experimenta Meckeliana constat; ex quo lotii metastasis concipi potest. Vid. *W. Comperi* anat. C. H. tab. XLII. *Jo. Frid. de Broke* diff. de vesicæ urinariæ appendicibus, Argent. MDCCLIII. L'Histoire R. des Sciences 1753. p. 145. sur la structure de la vessie. *Petr. Jac. Noot* diff. de vesicæ urinariæ structura & usu, Lugd. Bat. 1767.

*Obs.* Vesica urinaria quandoque duplex, quin triplex, invenitur. In muliere quintuplicem cum totidem renibus & sex ureteribus *Ant. Molinettus* observavit, quorum duo in vesicam maiorem, & quatuor reliqui singuli in singulas vesicas minores, lotium per tubulos singulares in maiorem immittentes, inferebantur. Vid. eius diff. anatomico-pathologica, Venetiis MDCLXXV. 4. editas l. VI. c. VII.

## §. VI.

*Urethra.* Urethra muliebris duos circiter digitos transversos longa, brevior ac plenior, quam in viris est, & pone clitoridis glandem in vulvæ canali parva eminentia se ostendit. In viris longior & compressior est, atque ex duplici membrana, cui corpus spongiosum minus interiacet, structa, a vesicæ collo latiore principio seu bulbo prostaticæ proximo, incipiens, sub corporibus spongiosis maioribus ad glandis extremum usque expanditur, ibique osculo suo aperitur. Prostatica, glandula cordiformis ante vesicam

in collo sita, urethræ principium cingit. Ad bulbi latera, sub musculis acceleratoribus, duæ glandulæ muscosæ Cowperi, ac tertia sub ossæ pubis intra corpus cavernosum minus, ac glandula Litrii intra urethræ membranas ante prostatam, positæ sunt. Superficies urethræ interna pluribus canaliculis ac foraminulis obsita est, ex quibus serum, ad illam lubricandam, & contra urinæ acrimoniam defendendam, excernitur. In inferiore ac postica urethræ parte caput gallinaginis, caruncula feminalis, in longum extensa atque obtuso apice terminata iacet, ad cuius latera duo parva vesicularum feminalium foramina, aliaque prostatae aperiuntur. Vid. *W. Comperi anat. C. H. tab. XLVII. fig. 1. lit. G. H. Wilb. Ruty tr. de viis urinariis, Lond. MDCCXXVI.*

*Obs.* Interdum fibrillæ quasi carneæ a feminalis carunculæ lateribus, obliquo ac parallelo decursu, hinc inde descendunt, ibique per internam urethræ faciem extant. Vid. *Jo. Bapt. Morgagnus l. I. de sedib. & causis morb. ep. X. art. XIII.*

### §. VII.

Urina est humor serosus, excrementis *Urina.* tuis, in renibus secretus, ex multis particulis aquosis, nonnullis salinis, mucosis ac terrestribus paucisque pinguibus constans. Pingues terreis admixtæ ex lotii putrescentis fœtore, phosphori atque olei empyreumatici productione concipi possunt. Sal lotii salsæ, atque acidæ indolis est. Illi



multum terræ quoque inesse, calculorum in renibus ac vesica urinaria, nec non in matulis, proventus docet. Mucus partim ex sanguine ad renes delato, partim ex serosis viarum urinarum glandulis secretus est, huiusque largior copia nubeculam, eneorema & sedimentum in urina constituit. A particulis salino-pinguibus colore citrino urina tingitur, & quo maior earum quantitas est, eo magis color exaltatur, atque in rufescentem degenerat. Secundum Barckhuysii experimentum in porosophia propositum, urinæ sani hominis uncia sex sub destillatione, phlegmatis uncias V. & drachmas VI. residui scrupulos V. & medium dederunt. Hoc igne ulterius tractatum salis volatilis drachmam mediam, olei empyrev. scrup. med. salis fixi & terræ gr. XVIII. præbuit.

### §. VIII.

*Accidentalē eius discrimen.*

Humorem hunc excrementitium in urinam potus atque sanguinis Physiologi dividere solent; illa aquosa, tenuis, assumptorumque odore, rarius etiam colore, imbuta est. Hæc, extra tempus potui dictum emissa, plus particularum pinguium, salinarum ac terræarum continet, quodammodo foetens, acris ac saturatiore colore, cæteris paribus, tincta est. In morbis, pro diversitate eorum indole, alias quoque particulas heterogeneas secum vehit, variaque consistentia & colore gaudet.

## §. VIII.

Lotium in vesica collectum illam expan- <sup>Eius</sup>  
dit, pressuque, eam emittendi tempus <sup>excretio.</sup>  
adesse, admonet, sphincter laxatur, muscu-  
lares vesicæ urinariæ fibræ se contrahunt,  
ac urethra a musculis transversalibus, ab  
offium ischii tuberculis venientibus, ac  
triangulari ab ani sphinctere ad illius bul-  
bum abeuntibus, dilatatur, lotiumque ex-  
pellitur; quo factò, vesicæ orificium sphin-  
cter iterum obturat, ac muscoli bulbo ca-  
vernosi, urethram constringentes, lotii re-  
liquias expellunt.

## CAP. XXXVII.

*De integumentis communibus, eorum  
annexis, atque excretionem cutanea.*

## §. I.

**S**ub cute in plerisque locis tela cellulosa, <sup>Integu-  
menta  
commu-  
nia.</sup>  
innumeris loculamentis inter se com-  
municantibus constans, sero arterioso ac  
pinguedini recipiendis, destinata & cum  
tela cellulosa musculorum connexionem  
habens, deprehenditur, quæ, ubi pingue-  
dine repleta est, *panniculus adiposus* di-  
citur. Panniculus carnosus, si a musculo  
colli latissimo recesseris, non nisi brutis  
concessus est. *Cutis* est membrana ro-  
busta, crassa, expansionem admittens,  
elastica, ac totum fere corpus inve-